

9. — Similiter magnam cautelam adhibeant, ne in refutandis malorum calumniis et dicteriis, eorum adiutores fiant, et scandala cognita faciant lectoribus suis, quae alias non cognovissent, et ex impiorum scriptis eorum animos inficiant, praesertim in iis quae fidem aut mores spectant: iacula enim quacumque manu emissa, facile vulnerant; vulneris sanatio non fit, nisi dexteritate medici.

10. — In particulari ephemeridum redactores ne levius rumores quoscumque referant, qui hodie per telegraphum quotidie sparguntur: attendant telegraphos fere omnes in manu esse inimicorum Ecclesiae, iudeorum, etc. et saepissime inservire propagandis falsis nuntiis in odium Ecclesiae v. gr. circa acta et agenda a S. Sede, circa valetudinem Romani Pontificis, etc. ad lucra iniusta procuranda ex animorum commotione, etc. Similiter cauti sint in repetendis notitiis de factis quibuslibet scandalosis, divortiis, duellis, caedibus, saltem fugiendo ea omnia quae imaginationem legentis nimis excitent, et non paucis offensionem sunt et periculo.

11. — Nullos libros aut libellos aut folia volantia in lucem edant de rebus quibuscumque ad religionem vel ad mores pertinentibus, neque orationes, etc. idiomate Indorum conscriptas etiamsi sint merae versiones ex originali alterius linguae iam approbato, nisi antea subiecta fuerint Ordinarii censurae, et approbationem obtinuerint. Sciant demum scriptores catholici arduum esse munus suum, multum laboris et studii, multum etiam humilitatis et caritatis requiri, ut bene illo fungantur: insuper debere ipsos quidem opiniones diei et multitudinis consulere, minime tamen ab illis abripi, sed despiciere et confutare et oppugnare quaecumque falsa, quaecumque periculosa fuerint vero bono Eccle-

siae, societatis, familiae. Sed, si arduum istud officium, et aggressioni et telis, calumniis et persecutionibus malevolorum illos obicit, ex altera parte nobilissimum, summe meritorium et gloriosum, inter primarios numerari Christi milites, Ecclesiae cooperatores, ad fidelium salutem et Dei gloriam. Pro corona hisce subiiciantur verba S. P. Leonis XIII in Encyclica *Immortale Dei opus*: « Commune omnium catholicorum scriptorum erit propositum: religionem et patriam conservare. Hoc proposito duas res praeclarissimas consecuturi sunt; alteram, ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana: alteram, ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius malarum doctrinarum et cupiditatum causa, magnopere, periclitatur salus. »

SECTIO II.

DE ECCLESIA CHRISTI

TITULUS I.

DE NATURA ET CONSTITUTIONE ECCLESIAE.

Hominum in terris societatem non ad huius vitae tantum Deus destinavit temporalem existentiam, sed hanc ad aeternam vitam ordinavit; ita ut homo cognoscat suum Creatorem, eum laudet, eique serviat, et ita perveniat ad societatem Beatorum in coelis coram throno Divinae Maiestatis, una cum Angelorum choris ipsum adorantium in sempiternum. In hunc finem Deus olim ex semine Abrahae populum sibi elegit, peculiari

revelatione illustrandum, speciali regendum providentia, custodem illum legis suae et veritatis fecit, electo sacerdotio, cultum Divinae Maiestatis commisit. Verum ille populus, illa lex, ille cultus et illud sacerdotium non nisi figura fuerunt et adumbratio quaedam legis novae, et cultus, et populi usque ad terminos orbis terrarum diffundendi, Ecclesiae suae scilicet quam aeterno consilio Deus constituere proposuit.

Adveniente igitur praefinito tempore, ipse suscepta per incarnationem humana natura, in terris apparuit « Homo Deus, in propria venit et sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri » (S. Ioan. I, 12, 13).

« Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalent adversus eam. » « Dabo tibi claves regni coelorum; quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis » (Matth. xvi, 18-19). « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. » (Matth. xxviii, 18-19). Claris hisce verbis, Christus Dominus suam instituit Ecclesiam, eius gubernationi providet, missionem et iura statuit. Quare huius Concilii Provincialis Patres cum ipsa Matre Ecclesia firmiter profiteamur:

1. — Est Ecclesia societas perfecta a Deo instituta, indefectibilis, habens finem a Deo sibi praestitutum, hominum sanctificationem, potestatem non a populo, non a principibus, sed a Deo solo, adeoque independentem, Petro et Apostolis eorumque successoribus,

Romano Pontifici et Episcopis traditam, ad docendum omnes homines, et habet ius eos regendi et subditos iudicandi et puniendi.

2. — Habet insuper ius proprie existentiae consulendi, ideoque bona temporalia acquirendi et possidendi.

TITULUS II.

DE IURE ECCLESIAE LEGES FERENDI.

Ecclesiae ius competere leges ferendi ex eius natura et constitutione directe sequitur. Ait enim supremus legislator Christus Dominus (Matth. xxviii, 18). « data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; sicut misit me Pater et ego mitto vos »: et Petro (Matth. xvi, 19) « quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis. » Ipse tamen libera sua voluntate legi veteri se submittit, suscipit circumcisionem, offertur et redimitur in templo, observat sabbata et solemnitates, et cum Apostolis in azymis comedit agnum paschalem; venerat enim facere et docere, ut exemplo praeiens, suos doceret obedire legi; declarat dein verbis expressis: « Non veni solvere legem sed adimplere » (Matth. v, 21), et ad singularia descendens: dictum est antiquis non occides... ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; et ita per summa capita legis discurrens, nobiliori sub forma et perfectiori illam confirmat et renovat; et ne in legis interpretatione materialiter et pharisaice procedant, saepius discipulos monet, imo ut ostendat quo spiritu sit explicanda, totam legem breviter comprehendit duplici mandato « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... et proximum tuum sicut teipsum. »

Iure igitur a Domino ipsis tradito utentes, spiritu caritatis ducti Apostoli in primo illo Concilio Hierosolymis celebrato, praeunte Petro, statuunt, fideles ex gentibus non obligari legibus iudicialibus et caerimonialibus: « Visum... non aliud vobis onus imponere, quam ut abstineatis ab oblati simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione » (Act. Ap. xv, 29).

Ad ipsos quoque Apostolos traditio refert institutionem celebrandi diem Dominicam loco sabbati: et huc refertur quod legitur (Act, Ap. xx, 7). « Una autem sabbati (id est prima die hebdomadae) cum convenissemus ad frangendum panem » et similiter (I. Cor. xvi, 2). « Per unam sabbati, unusquisque vestrum apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit », et S. Ignatius, S. Ioannis discipulus, in Epistola ad Magnesios (9) « Non amplius sabbatum colentes, sed iuxta Dominicam viventes, in qua et vita nostra exorta est per Iesum. »

Demum ex praxi et doctrina Apostolorum per eandem traditionem ad nos pervenerunt, et quoad substantiam ab antiquissimis temporibus in Ecclesia observati fuere Canones, qui vocantur Apostolici, utpote consoni praxi antiquissimae, licet sub ea quam tenent, forma ab Apostolis proclamata fuisse minime constet; eorum tamen plures a Conciliis Nicaeno, Ephesino etc. iisdem fere verbis referuntur.

Post Apostolica tempora sequuntur Canones et decreta Conciliorum, tum generalium, tum provincialium, ab universa Ecclesia recepta. Item litterae, decreta et leges Romanorum Pontificum quae omnia variis temporibus collecta Ius ecclesiasticum seu Canonicum constituunt.

Declaramus igitur:

Iuxta verba Christi et praxim ac doctrinam Apostolorum, Ecclesiam semper exercuisse, eique plene competere ius leges ferendi.

TITULUS III.

DE IURE ECCLESIAE, LEGES SANCIENDI.

Hoc ius corollarium necessarium est iuris leges ferendi, et directe inde sequitur. Licet enim interna caritatis et amoris illius lex, quam Spiritus Sanctus scribere et in cordibus fidelium imprimere solet, magis quam adiumenta ulla externa et poenae ad observationem mandatorum illos impellere deberet, ea tamen est naturae humanae fragilitas, ut, nisi externa addatur sanctio et poena, vel ipsa legis existentia propter multitudinem transgressionum brevi tradatur oblivioni. Quapropter Deus ipse mandata sua non solum temporalibus poenis vallare et communire, sed insuper aeternis gehennae suppliciis legum suarum transgressores, salutari terrore cohibere voluit.

Hanc igitur potestatem Ecclesiae suae asseruit Christus Dominus, et proclamavit (Matth. xviii, 17) « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. »

Similiter illa utuntur Apostoli (Act. Ap. v) Petrus, morte repentina puniens fraudem et mendacium Ananiae et Saphirae; Paulus, Satanae tradens incestuosum Corinthium, in interitum carnis, ut salvetur anima eius » (I Cor. v, 5); Ioannes, excommunicationem proclamans contra haereticos: « nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. » (Ep. 2, Io. 10).

Ita instructa Ecclesia ab apostolicis inde temporibus, frequenter utitur hoc iure sanciendo leges suas, et imprimis contra insurgentes continuo haeresis seminatores et fautores, illos excommunicando, id est, separando ab Ecclesia; dein varia successiva decreta promulgando poenarum spiritualium et corporalium, ieiuniorum, etc., contra fideles, qui in graviora publica praesertim et scandalosa peccata, incurrissent. Mox Imperatores iam christiani plurima privilegia concesserunt Episcopis, et magna ipsis credita potestas etiam in civilibus, in causis praesertim mixtis, et generatim auctoritas civilis solebat acta a tribunali ecclesiastico tueri.

Hinc leges disciplinares, decreta, canones decursu temporis editi, et in collectionibus Iuris Canonici conservati; quorum plures vel legitima consuetudine hodie aboliti, vel ab ecclesiastica auctoritate abrogati aut restricti fuere.

Poenae spirituales, quae proprie censurae vocantur, sunt Excommunicatio, Suspendio et Interdictum.

Interdictum est censura Ecclesiastica, per quam fidelis arcetur a participatione aliquorum sacramentorum, omnium divinorum officiorum, et ecclesiastica sepultura.

Suspendio est censura ecclesiastica, pro solis clericis, qua prohibentur exercere actus ordinis sui aut iurisdictionis, alias sibi licitos, aut percipere fructus alicuius beneficii vel officii, aut utriusque.

Excommunicatio est censura, per quam homo christianus a communione Ecclesiae separatur; vel *maior* si absolute, i. e. si privatur omnibus bonis communibus, scilicet, sacramentis tum quoad administrationem tum quoad receptionem, publicis suffragiis, et (quod iam rarius fieri solet) convictu seu societate civili; vel *minor* si tantum privatur receptione sacramentorum.

Est autem vel *latae* sententiae, vel *ferendae*, prout in iure requiritur aut non requiritur sententia iudicis ad eam incurrendam: estque vel reservata maiori iudici, vel potestati ordinariae subiecta. Vitandus dein est qui publice et nominatim fuerit excommunicatus; si secus, toleratus dicitur.

Ius excommunicandi competit Summo Pontifici pro universa Ecclesia: Episcopis et ceteris habentibus iurisdictionem in foro externo, cuique quoad sibi subditos tantum. Qui autem habet ius excommunicandi, etiam habet ius reservandi sibi absolutionem in foro conscientiae quoad subditos.

Hisce positis declaramus:

1. Iuxta verba Christi, praxim et doctrinam Apostolorum, et totius deinde Ecclesiae, agnoscimus in ipsa Ecclesia ius sanciendo leges suas et praescriptiones per poenas temporales et spirituales.

2. Quoad applicationem harum poenarum in particulari servetur novissima Constitutio sa. me. Pii Pp. IX quae incipit: « Apostolicae Sedis » (die 8 Oct. 1869).

TITULUS IV.

DE IURE POSSIDENDI.

Ecclesia a Christo Domino instituta, independenter ab omni terrena potestate, societas est perfecta, visibilis, ad consummationem saeculi usque duratura. Media ad supernaturalem institutionis suae finem assequendum immediate per assistentiam Sancti Spiritus a Christo Domino accepit. Sed ipsius est curare ut debito Dei cultui atque ministrorum sustentationi operumque ca-

ritatis exercitio stabiliter provideatur, adeoque ius habet acquirendi et possidendi bona mobilia et immobilia, hunc in finem necessaria et opportuna.

Quod iam exercitium huius iuris possidendi attinet, Christus Dominus exemplo praeit. Licet enim Filius hominis pro se non haberet ubi caput reclinaret, uti Ven. Beda adnotat (Hom. in Ev. Luc. XII) ipse, cui ministrabant Angeli, tamen *ad informandam Ecclesiam suam*, loculos habuisse legitur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens. Apostoli ad exemplum Christi idem faciunt, et docent: recipiunt fidelium oblationes de pretio domuum et agrorum quos rendebant, et constituunt sortem unde alantur discipuli « possessiones et substantias vendebant, dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat (Act. Ap. II, 45). Quotquot possessiones agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia et ponebant ante pedes Apostolorum, dividebatur autem singulis prout cuique opus erat Eligunt diaconos septem, pro distribuendis eleemosynis » (Act. Ap. VI, 34, 35).

Mittunt delegatos, qui colligant per Asiam eleemosynas et Hierosolymam deferant. Apostolus Paulus, qui plus semel tali legatione functus est, et fidelium oblationes in Hierusalem detulit, saepius in Epistolis suis loquitur de obligatione fidelium sustentandi sacerdotes, et de horum iure vivendi de altari. Ita ad Rom. XV, 26, 27. — 2.^a ad Cor. XI, 7, 8, 9; sed praesertim 1. Cor. IX, 7, 14. Sufficiat v. 14. « Ita et Dominus ordinavit eis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » prouti etiam in Evangelio Matthaei X, 10 legimus « dignus est enim operarius cibo suo ».

Hisce doctrinis et exemplis instructa Ecclesia inde

a tempore Apostolorum stimulavit fidelium caritatem, ad oblationes necessarias pro cultu divini eiusque ministris sustentandis; deinceps ed instar legis antiquae induxit obligationem decimarum. Mox etiam post Constantini Imperatoris ad fidem conversionem, tum principes tum ceteri fideles donis suis, multis in locis constituere ecclesiarum patrimonia, uti patrimonium S. Petri, Sanctae Romanae Ecclesiae, et plurimos per varias regiones principatus Episcoporum, Abbatum, etc.

Obortis successu temporum haeresibus Albigensium, Wicleffii, Hussii, Lutheri praesertim et Calvinii, novatores Ecclesiae inimici hinc occasionem arripuerunt debacchandi in divitias cleri, excitandi avaritiam nobilium et principum, et per magnam Europae partem invadendi possessiones Ecclesiae, et redditus, decimas, etc.: easque vel sibi et sectis suis adiudicandi, vel in saecularia dominia et principatus convertendi. In illis etiam regnis, ubi haeresis non dominata est, per rebellionem Galliae sub finem saeculi XVIII Ecclesiae dotationes magna ex parte perierunt, licet a variis guberniis aliqua deinceps facta sit compensatio, titulo annui subsidii, (generatim sat exiguae) pro sumptibus cultus divini et ministrorum sustentatione.

In hac etiam Mexicana Republica ab annis circiter quadraginta, bonis suis Ecclesia spoliata fuit, non obstante protestatione solemnii Pastorum et fidelium, et ipsius Sedis Apostolicae. Insuper data est lex, ne possint deinceps ab Ecclesia acquiri bona immobilia: exceptio quidem statuta fuit quoad templa et loca hisce adnexa praesertim pro habitatione Episcopi et Parochi, et pro seminariis. Remanent tamen Ecclesiae decimae (ut iam sine protectione brachii saecularis contra re-

cusantes eas solvere), remanent iura stolae et Missarum stipendia.

Pro corona huius doctrinae circa ius possidendi bona temporalia, hic subiicienda videtur, quae claris verbis referuntur a Conc. III plenario Baltimorensi Tit. IX, cap. 1) « Ecclesia cum societas sit, quae et externo membrorum nexu atque ordine omnibus visibilis apparet, iis procul dubio mediis uti debet ad finem suum assequendum, quae non meris purisque spiritibus, at vero hominibus ex corpore simul et anima compositis conveniant. Etsi proinde Ecclesiae est orare, praedicare, ministrare, et sacrificare, his tamen muneribus spectata humanae societatis indole, recte fungi non potest, nisi mediis externis et visibilibus utatur Neque solum ex ordinatione divina Ecclesiae ius competit erga bona temporalia, sed et iure naturali, cum iure longe nobiliori vera et perfecta societas sit, quam reliquae hominum societates, quibus ex ipsa rerum natura ius bona externa acquirendi et possidendi competere nemo umquam negare ausus est. Ecclesia autem ut vera et perfecta societas a divino suo Auctore fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus, nulli etiam civili subdatur imperio suamque potestatem ac iura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat (Pius IX alloc. *Multis gravibusque*, - 17 Dec. 1860). Hinc damnata sententia eorum, qui dicunt « Ecclesiam non habere nativum et legitimum ius acquirendi et possidendi » (Syllab. § v, prop. 26). Item eorum, qui contendunt « conforme esse S. Theologiae iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab ecclesiis, a familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare » (Pius Pp. IX *Quanta cura*). Item damnanda eorum insania, qui asserere non

dubitant sacros Ecclesiae ministros Romanumque Pontificem ab omni rerum temporalium cura et dominio omnino excludendos (Syllab. I. c. prop. 27). »

Considerantes igitur exemplum et verba Christi, acta et praescripta Apostolorum, praxim Ecclesiae inde ab eius institutione, et declarationes SS. Pontificum, similiter declarat haec Synodus Antequerensis:

1. Sancte et inviolabiliter tenendum est ius integrum proprietatis et dominium in bona sua Ecclesiae competere.

2. Bona autem Ecclesiae adeo propria sunt ipsi, ut nemo per apostasiam aut per qualemcumque fraudem ea usurpare possit, aut salva conscientia detinere. Insuper, qui hoc attentaverit incurrit poenas canonicas a iure statutas.

TITULUS V.

DE BONIS ECCLESIAE.

A) — *De proventibus Ecclesiae.*

Bona Ecclesiae sunt duplicia: mobilia ad quae reducuntur proventus, et immobilia.

1. — Proventus sunt vel annui ex decimis, primitiis, oblationibus et eleemosynis; vel extraordinarii, uti legata et testamenta, vel ordinarii ex stipendiis, iuribus stolae, etc.

2. — Immobilia sunt: ecclesiae, seminaria, collegia, scholae, conventus et monasteria: dein latifundia, agri, domus, etc.

Iam vero in regionibus catholicis, licet plurima tem-

poris decursu et rerum publicarum conversione perierint; plurima tamen salva manent, praesertim in Austria, Hispania, Hungaria, Belgio, maiori parte Americae Meridionalis, etc. Insuper in omnibus hisce regionibus, observando statuta per leges, nova bona ab Ecclesia acquiri possunt, vel donatione vel emptione vel testamentis, etc.

Similiter in regionibus mixtae religionis, ubi antiqua bona vi haeresis vel omnino vel maiori ex parte occupata fuerunt, ab initio huius saeculi nova bona et redditus acquisita sunt, et quotidie acquiruntur sub legis et guberniorum acatholicorum tutela efficaci.

DE PROVENTIBUS.

§ I.

De decimis.

In lege veteri, Moyses dedit populo mandatum Dei, ut Levitis propterea quod inter ceteras tribus possessiones agrorum nullas obtinuerant, a reliquis omnibus singulis annis decimae offerrentur omnium fructuum agrorum, insuper primitiae sacerdotibus destinarentur. Hinc Ecclesia voluit etiam, ut sacerdotibus novae legis, cultui divino dedicatis, pro congrua sustentatione solvantur decimae. Primis quidem Ecclesiae temporibus constat voluntarias fidelium oblationes eius necessitatibus suffecisse, uti videmus factum tempore Apostolorum. Decrescente vero caritate, inde a saeculo quarto invenimus Episcopos et praedicatores excitantes fideles ut ad exemplum legis veteris, decimas solverent. Mox inveniuntur decreta Conciliorum, Turonensis (ann. 567), Matisconensis (ann. 585); quorum primum sta-

tuit poenam excommunicationis in non solventes, etc. Dein in Concilio Constantiensi (Sess. VIII) condemnatur propositio Wicleffii asserentis decimas non esse nisi oblationes voluntarias». Tandem Concilium Tridentinum Sess. xxv, cap. XII, declarat: « Decimae integre persolvendae; eas subtrahentes seu impediendes excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. »

Obligatio ad solvendas decimas in praesenti innititur praecepto Ecclesiae et iuri canonico, sed fundamentum habet in ipso iure naturali, quo fidelis quisque tenetur, pro viribus conferre ad cultum divinum, adeoque in ipsa voluntate Dei. Hinc etiam, ubi propter circumstantias temporum iam non viget ex parte vel ex toto lex decimarum, obligatio haec contributiones solvendi persistit, sive per oblationes spontaneas sive aliis modis, ab Ecclesia determinandis vel approbandis.

In hac Mexicana Republica tamen per omnes et singulas dioeceses pleno vigore subsistit ius percipiendi decimas et primitias, et quae factae sunt modificationes, vim non habent deficiente approbatione Apostolicae Sedis.

Sunt autem decimae vel praediales, vel personales vel mixtae. *Praediales* de fructibus agrorum, imprimis frumenti et caeteris cerealibus, ex animalibus domesticis, dein de hortorum cultu et fructibus arborum. *Personales* quae ex meris industriis, mercatura opificiis, pensionibus officiorum percipiuntur. *Mixtae* ex fructu naturali agrorum vel animalium et hominum industria, uti lana, lacte, caseis, vino, oleo, saccharo, etc. Quoad praediales attinet integre solvi debent, i. e., praecise decima pars proventus agri, nihil deducendo pro expensis in terra praeparanda pro seminibus, etc.

Mixtae autem generatim, pro ratione maioris laboris et expensarum plus minusve iuxta diversorum locorum legitimam consuetudinem reddere debent.

Solutio decimarum obligat sub gravi. Qui renuerit solvere, aut de quantitate defraudaverit, excommunicetur prouti in Conc. Tridentino (Sess. xxv, cap. 12, *De ref.*) statuitur: adeoque sequitur nec ipsum Episcopum posse relaxare hanc obligationem, quam quisque habet solvendi decimas, easque integras nulla detractioe facta pro expensis. Qui neglexerit in vita solvere, in hora mortis absolvi non poterit, nisi facta restitutione; aut saltem, si tunc fieri omnino non possit, imposita, sub forma legali haeredibus suis, obligatione illam quam primum faciendi. Haec autem confirmantur ex instructione D. N. Leonis XIII nuperrime data ad clerum Italiae: quicumque fidelium noluerit, compositione facta, obligationi suae satisfacere, neque debitas decimas solvere, iuxta decreta S. Conc. Tridentini « non poterit ab ullo confessario absolvi, nisi integra facta restitutione. »

Quamvis in praesenti legislatione iam non existat compulsio brachii saecularis pro decimis recipiendis contra refractarios: iustam et legitimam esse hanc obligationem, ipsa legislatio haec agnoscit, statuendo, lege 4 Dec. 1860 art. 15. « Nullo modo quidquam debere detrahi de censu super haereditate imposito, propter decimas aut legata pia solvenda. » Hinc etiam sequitur, eum, qui in hora mortis restitutionem facere debet pro decimis etc. non solutis, posse, imo debere, si alio modo fieri non possit, sub forma legali testamenti illam obligationem haeredibus suis imponere.

Ceterum cum negari non possit, propter debita, canones, census, etc. quibus non pauca bona immobi-

lia, latifundia imprimis et agri, gravantur, plures haud leves difficultates reperiri in solutione integra eorum quae Ecclesiae debentur, licet imo convenit, ut tales proprietarii accedant ad Ordinarium, difficultates exponant, et compositionem convenientem pro circumstantiis ineant cum illo iuxta facultates extraordinarias in hunc finem a S. Sede concessas: prouti pro Dioecesi Antequerensi iam significatum fuit per litteras circulares diei 11 Nov. 1888 in quibus etiam necessariae facultates omnibus parochis Archidioecesis communicatae fuerunt.

§ II.

De primitiis.

Ita vocantur quia sunt primi fructus agrorum, vinearum, etc. Et in lege antiqua de mandato divino destinabantur sacerdotibus (Num. xviii, 12, 13). Ab initio non videtur quantitas fuisse determinata, postea non maior quadragesima nec minor sexagesima. Similiter primogenita, i. e. primi partus omnium animalium Deo specialiter offerre et sacrificare debebant. (Exod. xiii, 2. — Num. xviii).

In lege nova nullum apparet generale saltem praeceptum solvendi primitias: ex consuetudine tamen paulatim multis in locis haec obligatio fuit introducta. Sic legitur v. g. in Canone « *Revertimini* 65 » « oportet autem... primitias, quas iure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere. » Successu temporis tamen, consuetudo, quae primitias introduxit, pluribus in regionibus eas abolevit, saltem quoad obligationem: in aliis eas conservavit.

In Ecclesia Mexicana viget lex primitiarum, prouti expressa fuit in Conc. III Mexicano (L. III, Tit. 12),